cruoris hirudo. Doct. Christophorus Pezelius
vir humanissimus, vel ipsa potius humanitas, non du-
bie . . . . suacum. Expectantur
Doctores ab judice adversi ad defensionem erro-
ris absoluti, et tam diuturnitate ipsi contabescetis.
Quid sit futurum, ignoramus. ὅτε ἐν γούνασι κεῖται. Quam
difficile est Satanam ejicere ex veteri possessione.
Nos plerique nolles exorcistae sumus. Antagoni-
sta validus est, nec vincitur nisi summa conten-
tione. Qui ex Sione det salutem Israelitis, si sal-
tem illam fidei mensuram haberemus, qua exhausta
veritatis fontem in Christo servatore nostro repe-
riremus. In schola Dei beneficio Doctrinae integritas
dicta, non sine separatione invaluit, eodemque tenore pro-
speratur. Tui fratres valent beneque rem gerunt.
Uxor mea cum parvis liberis feliciter degit. Vale
Dei meo nomine salutem omnibus nostris, quo-
rum literis plus otii nactus respondebo. Bremae
17. Maij Anno 1581. in schola

Amicus vetus
Johannes Molanus Senior.

Pax Christi. [Schröder, Joh.] 34

Audio Johannes Schroder te isthic exerceri ad
concionandum, quod mihi sane vehementer pro- [= Arch. a. 7.
batur. Pauci sunt in nostris adolescentibus, qui N. 332]
haec viam insistunt. Omnes volunt fieri Juris-
consulti, ut curiae serviant, utque ipsi ad honores
magnos evadant. Theologicam professionem
vident plus habere periculi et molestiarum,
quam opum ac dignitatis. Ideirco inclinat
plerique ad maris felicius. Tu vero ne desinas
id persequi, ad quod divina vocatio te impellit,
ut non tam tibi ipsi, quam Deo et ejus gloriae
servias in propaganda doctrina sana, qua im-

primis Ecclesiæ vita et salus continetur. Non deerunt Theologo fideli opes, quas necessarius usus requiret. Dignus est enim operarius mercede sua, neque unquam Deus regnum suum quærenti, honorem et precium patietur deesse. Sed tamen memineris cum sanitate doctrinæ, morum etiam vitæque integritatem summa cura retinendam esse. Beati Francisci dictum est: Tantum scis, quantum operaris. Theologia non tam est λόγος, quam ἔργον nec tam γνῶσις quam πρᾶξις. Quamobrem, quantum potes, exerce temet ipsum ad sinceram pietatem, quam ex studio didiceris, eamque summo studio tibi redde familiarem, non consectans multorum glossas, aut commentarios aut postillas. Optimus sacrarum literarum interpres est ipse Paulus, cujus Epistolas, nisi ad verbum edidiceris, diluta erit tua docendi ratio, sine fervore Spiritus, sine ejus autoritate, qualis fuit Scribarum et Pharisæorum. Quorum similes Theologos hæc ætas multos habet. Ita ἐπίγεια, ἐξουσίας, opes, potentiam, honorem sectantes, qui quoniam Evangelicæ doctrinæ puritatem aut adulterant, aut etiam oppugnant, inimici sunt crucis Christi. Et quamvis hic ad tempus floreant: Tamen gloria, quam captant in maximam infamiam redundabit, et merces, quæ sequetur opus eorum, est interitus. Libru͞ quem apud me deposueras discedens, tuo patri reddidi. Is Cal. Septemb. J. Hilmero Cogno tradidit. Spero eam ad tuas manus pervenisse. Cave tibi a contagione luxus, quæ plerisque in Academiis regnat, et bonos quoque beneque institutos discipulos quasi violenta quædam tempestas involvit atque pessundat. Velim te approbes Doctori Johanni Casselio excellenti viro, id fiet

pariter tuos eminere studiorum perseve-
rantia, vitaeq. honestate. Credam te magnos pro-
gressus fecisse, stillitati tantoq. viro placebis. Bern-
donq Lathonq hic est etiam nunc, si potest ar-
genti aliquid conficere, isthuc reverteretur. M.
Reinerq Langen nuper huc venit, ut parentes
suos viseret. Marpurgum pro se diem reditu-
rq. Magnus est numerus eorum, qui jactis bo-
nae fundamentis ~~in~~ in Academiis cum laude
versantur. Horum aemulatione fac, ut tuum
animum subinde extimules, atque cum Dei
patris coelestis invocatione omnes ad hoc tu-
um ingenii mentisq. nervos intendas. Vale.
17. Maij 1581. Bremae in scholis, te amans
Johannes Molang.

Pax Christi. [an Liebenaut] 35

Ea, quae nuper inter nos incepta est amicitia, Doctor
clarissime, hunc fructum uberem et praestantem ad-
ferre debet, ut siquis forte discipulus unus et item al-
ter e nostro scholari pulvere in istam lucem vestram [= Arer. a. M.
atque solem prodire ausit, nondum satis confirmatus Nr. 333]
puerili institutione: eos ego nunquam dubitem
meis de te literis instruere, tuaeque singulari in-
dustriae perpoliendos, perficiendosque commendare.
Quod equidem eo majore fiducia faciendum exi-
stimo, quo magis ex tuis literis intelligo, te et fa-
vere ingeniis, ut qui maxime: et erga nos nostraque
studia propensissima voluntate praeditum esse.
Est in hac Reipubl. honestus senator, vir ut re
lauta, ita etiam liberali animo, qui me pro-
pter liberorum suorum educationem semper
coluit, et maximi fecit. Ejus filios duos accuratè
formavi, tum ad mores bonos, tum ad pie vitae